

259. *Alii casus, in quibus amittitur privilegium clericale. Remissive.* — Omittuntur brevitas causa alii casus, in quibus amittitur privilegium clericale; et de quibus partim fit mentio in cap. ult. *de Vita et honest. cleric.* et Clem. 1. eod. et cap. 1. *de Apostat.* partim fusissime agit Aufrerius, ubi supra, et Barbosa cit. l. 1. *Juris Eccles. univ.* cap. xxxix, § 2. n. 66. et seqq.

260. *Clerici nequeunt privilegio clericali renuntiare verbo, bene tamen facto.* — Nec obstat, quod clerici privilegio fori renuntiare nequeant, ut dictum supra n. 242. Resp. enim cum Glossa in cit. cap. ult. *¶ Cum facto. de Vita et honest. cleric.* quod, quamvis ipso verbo clericus privilegio clericali renuntiare non possit, c. *Si diligenti.* h. t. possit tamen eidem renuntiare facto, quatenus se reddi ipso indignum; tum quia, ut in cit. cap. ult. *de Vita et honest. cleric.* loquitur pontifex, clerici talia committentes « ipso facto privilegium abjiciunt clericale: » atqui plus est factis renuntiare, quam verbis, arg. c. *Dilecti*, 52, *de Appellat.* cum similibus; tum quia « privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate: ac frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem; » ut dicitur in c. *Contingit*, § fin. 45, *de Sentent. excomm.*

261. *Seu, non expresse; bene tamen tacite, ac juris ministerio.* — Hoc ipsum, sed aliis terminis, tradit Fagnanus in c. *Odoardus*, n. 71 et 72, *de Solution.* dicens, quod clericus privilegio fori non possit renuntiare expresse, c. *Si diligenti, de Foro compet.* Bene tamen tacite, ac juris ministerio; videlicet, per actum contrarium, a jure sub pœna privationis privilegii fori prohibitum; puta immiscendo se enormitatibus, non deferendo habitum vel tonsuram, ac hujusmodi.

262. *Suscipiens statum clericalem, vel monachalem, an circa antea gesta gaudeat privilegio fori? Re adhuc integra gaudet.* — Queritur V. Utrum suscipiens statum clericalem, vel monachalem, circa res ante clericatum gestas, aut commissum antea grave crimen, gaudeat privilegio fori? Resp. I. Si res adhuc sit integra, non debet clericus super rebus in statu laicali gestis coram alio, quam ecclesiastico iudice conveniri. Ita Fagnanus in c. *Magnus*, n. 26 et seqq. *de Obligatis ad ratiocin. non ordin.* et Engel h. t. n. 53, allegans communem. Ratio est, quia privilegium superveniens eximit quempiam a priori onere, quo tenebatur, c. *Cum capella, de Privileg.*

et l. *Spadonem*, § *Si quis autem*, et l. *Jurisperitos*, ff. *de Excusationib. tutor.* Item sacerdotium superveniens tollit munus publicum jam injunctum, l. *Prætor eos*, ff. *de Vacation. et excusat. muner.* Accedit, quod privilegium fori loquatur indistincte: unde, veluti favorabile, est extendendum, ac interpretandum largissime, c. *Odia, de Reg. jur.* in 6. nec temere restringendum ad obligationes contractas, vel delicta commissa primum post clericatum.

263. *Si res non amplius est integra, variant doctores.* — Major difficultas est in casu, quando quis ante assumptum statum clericalem, vel monachalem, in foro sæculari præventus fuit, sicque res non amplius est integra: et tunc diversæ sunt doctorum sententiæ, uti videre est apud Abbatem in cap. 1, n. 4 et 5, *de Obligat. ad ratiocin.* Cæteris tamen sententiis brevitas gratia dimissis, ac pro majori claritate distinguendo inter causas civiles, et criminales,

264. *Loquendo de causis civilibus, si iudex sæcularis citatione prævenit, potest is causam prosequi.* — Resp. II. Loquendo de causa civili, si iudex sæcularis prævenit citando laicum postea promotum ad clericatum, vel monachatum, potest is causam prosequi, ac diffinitiva sententiâ terminare; ipsamque sententiâ realiter exequi in bonis clerici, non autem in hujus persona, ipsum v. g. ratione debiti postmodum incarcerando. Ita Fagnanus loc. cit. n. 54; *Speculator tit. de Reo.* n. 4, asserens ita tenere omnes; seu (ut intelligit annotatio) fere omnes, licet quidam contradicant. Idque desumitur ex c. *Proposuisti*, 19, h. t. ubi legitime citatus tenetur coram iudice citante causam prosequi, quasi ab eo jam præventus, haud obstante, quod postea forum mutaverit: idque ibidem Abbas n. 13, Joan. Andreas n. 2, Hostiensis, et alii intelligunt etiam in laico, qui postea factus est clericus. Concordat textus in l. *Si quis postea*, ff. *de Judiciis*, cum similibus.

265. *Loquendo de causis civilibus, si iudex sæcularis citatione prævenit, potest is causam prosequi.* — Accedit ratio: quia, ubi cœptum semel est iudicium, ibi debet finem accipere, l. *Ubi cœptum*, ff. *de Judic.* Simulque jurisdictionis iudicis laici respectu causæ ante clericatum citatione præventæ, perpetuatur in clericum propter principium habile, licet postea devenerit ad casum, in quo non poterat incipere; idque per jura proxime citata: Quinimo ipsum privilegium exemptionis jam

est præventum per actum citationis a iudice laico factæ, atque ideo non suffragatur. Fagnanus loc. cit. n. 42.

266. *Loquendo de causis civilibus, si iudex sæcularis citatione prævenit, potest is causam prosequi.* — Additur notanter in conclusione, « Non item in hujus persona. » Quia iudex laicus non posset ratione contracti, v. g. antea debiti, talem postea jam clericum factum personaliter astringere, aut incarcerare; cum persona clerici omnino sit exempta a manu iudicis laici: ac proinde constrictio personalis ejus pertinebit ad solum iudicem ecclesiasticum, ut omnes fatentur, atque in simili habetur c. *Postulasti*, 14, h. t. et cap. 1, *de Raptorib.* Nam clericatus eximit personam quoad omnem manus injectionem, ac distractionem; licet non eximat causam a jurisdictione prævenientis quoad ipsum processum. Idemque dicendum de monachatu: quia, licet propter characterem plus habet ordo, quam professio; tamen professus religionem mundo mortuus est, ac plura promittit. Joan. Andreas in c. *Magnus*, n. 19 et 20, *de Obligat. ad ratiocin.* ubi ex professo hanc quæstionem examinat.

267. *In causis criminalibus est distinguendum an laicus post commissum crimen assumpserit clericatum sine fraude, an in fraudem.* — Resp. III. Loquendo de causis criminalibus, videtur distinguendum. Aut enim laicus post commissum crimen assumit statum clericalem, vel monachalem, « sine fraude: » et tunc gaudet privilegio fori, adeo ut non possit a laica potestate desuper judicari, et puniri. Aut assumit hunc « in fraudem, » ut nimirum sic iudicis sæcularis forum declinet; et tunc ipse potest a iudice laico desuper judicari, et puniri pœna pecuniaria, vel confiscatione honorum, licet non pœna corporali, donec fuerit degradatus, et traditus curiæ sæculari. Ita Joan. Andreas in cit. c. *Magnus*, n. 19 et 20, *de Obligat. ad ratiocin.* et Abbas ibid. n. 5, §. *Quoad primum.* Et Fagnanus loc. cit. n. 64 et seqq. allegans ad hoc decisionem sacræ congregationis concilii Trident. in causa Alexandri, et Zuccari, Nepesinæ diœcesis; Bartolus in l. 1, § *Juxta prædicata*, ff. *de Pœnis*; Covarruvias, *Pract. quæst.*, cap. xxxii, n. 4. Julius Clarus, lib. V. *Criminal.* § fin. quæst. 36, n. 43; Farinadius, lib. I. *de Inquisitione*, tit. I, quæst. 8, n. 107, et alii ab his citati; quamvis non pauci quoad secundam partem oppositum teneant.

268. *Idque probatur.* — Ratio conclusionis

desumitur ex l. *Si maritus sit*, § *Lege Julia*, ff. *Ad Leg. Jul. de Adulter.* et l. *Hos accusare*, § 1, ff. *de Accusat.* ubi, qui abest bona fide reipublicæ causa, non potest accusari: si in fraudem, potest. Similiter l. IV et V, ff. *Ex quibus causis majores*, etc., solummodo illis majoribus, et graviter læsis; subvenitur per restitutionem in integrum, qui bona fide, ac sine dolo malo, reipublicæ causa abfuissent: secus, si data opera ob proprium commodum, vel litis evitandæ gratia, sicque in fraudem cœpissent reipublicæ causa abesse. Idem ergo a simili dicendum de bona fide, vel in fraudem assumentibus statum clericalem aut monachalem, post commissum crimen. Accedunt rationes n. 262, allatæ, ac militantes in favorem eorum, qui bona fide suscipiunt clericatum, vel monachatum: ut, quia longo post commissum crimen tempore, et a nemine desuper inquietati, dictum statum ad agendam pœnitentiam eligunt. Alioquin enim, quod fraus et dolus alicui patrocinari non debeat, textus est in c. *Sedes*, 15, *de Rescript.* cum concordantiis.

269. *Laicus criminosus, quando censeatur in fraudem assumpsisse statum clericalem?* — Et si petas, quandonam laicus criminosus censeatur in fraudem assumpsisse statum clericalem, vel monachalem? Respondent doctores præsumi ejusmodi fraudem, quando quis de commissio delicto jam ante susceptum ordinem, vel habitum monachalem, apud iudicem sæcularem fuit accusatus, vel denunciatus aut saltem diffamatus: tunc enim videtur assumpsisse statum ecclesiasticum, ut se eximeret a jurisdictione, ac pœnis fori sæcularis, arg. l. ult. ff. *de Bonis eorum, qui ante sentent.* ac notat Covarruvias cit. cap. xxxii, n. 4, § *Fraus vero*. Sigismund. Scaccia lib. I, *de Judiciis*, cap. xii, n. 4. Julius Clarus d. § fin. quæst. 36, n. 44, et Farinacius, ubi supra, n. 110, allegans plurimos alios.

270. *Laicus criminosus, quando censeatur in fraudem assumpsisse statum clericalem.* — Verum tamen Fagnanus in d. c. *Magnus*, n. 39, § *Sed hæc opinio*. et n. 72 et 73, *de Obligat. ad ratiocin.* ex professo hanc opinionem rejicit; atque post Joan. Andreæ loc. cit. n. 19, §. *Quinta est opinio*, et alios, ad hoc, ut iudex laicus possit ejusmodi clericum punire pœna pecuniaria, vel confiscatione bonorum, omnino requirit, quod iudex laicus in causa prævenit citando reum ante mutationem status, arg. c. *Proposuisti*, h. t. et

1. *Si quis postea*, ff. de *Judiciis*. Unde ad id non sufficit sola denuntiatio, aut diffamatio super crimine commisso, nisi ante mutationem status reus ille etiam fuerit citatione prævntus, sicque perpetuata jurisdictio iudicis laici in ipsum. Accedit alia ratio, quia in dubio non præsimitur fraus, l. *Merito autem*, ff. *Pro socio*: sed unusquisque præsumentus est bonus, cap. ult. juncta *Glossa fin. de Præsumpt.* Ergo ex sola clerici diffamatione, vel etiam accusatione, fraus non recte præsimitur; cum adhuc bona fide, puta, ad agendam pœnitentiam, potuerit statutum clericalem, vel monachalem suscepisse, licet eadem die, qua effectus est clericus, reperiatur fuisse accusatus, Sigism. Scaccia cit. lib. I, cap. xii, n. 6. Igitur ad hoc insuper requiritur, quod prævntus fuerit citatione, sicque perpetuata sit jurisdictio iudicis sæcularis in ipsum, quam postea subterfugere præsumi potest.

271. *Requiritur declaratio iudicis ecclesiastici super fraude commissa.* — Addit Fagnanus, loc. cit. n. 75, ad hoc, ut iudex laicus possit procedere contra bona clerici post commissum crimen in fraudem promoti, ulterius requiri, quod præcedat declaratio iudicis ecclesiastici super fraude per ipsum commissa, et interim iudex sæcularis debeat causa supersedere. Quia enim hujus jurisdictio fundatur super qualitate fraudis, priusquam de hujusmodi fraude per declarationem iudicis ecclesiastici constiterit, laicus adhuc ignorat se esse iudicem competentem; ideoque de hac fraudis qualitate, utpote jurisdictionem tribuente, antea constare debet, l. II, § *Sed et si dubitetur*, ff. de *Judic.*, et interim iudex laicus causa supersedere; prout in simili decernitur c. *Si iudex laicus*, 12, de *Sentent. excomm.* in 6, ibi: « Contra eum tamen interim quivis processus iudicis (laici) penitus conquiescat. » Concordat c. *Cum secundum*, 19, § fin. de *Hæretic.* in 6, ubi bona hæreticorum ipso jure confiscata, non possunt per dominos sæculares occupari, donec sententia declaratoria super crimine per iudicem ecclesiasticum fuerit promulgata.

272. *Hac secuta potest iudex laicus procedere contra ejusmodi clericum, eumque punire pœna pecuniaria, non vero corporali, donec fuerit degradatus.* — Notanter vero dictum fuit n. 267: « Licet non pœna corporali, donec fuerit degradatus. » Quamvis enim iudex laicus, post factam declarationem iudicis ecclesi-

tici super fraude in assumptione status clericali per clericorum commissa, possit illico procedere ad cognitionem criminis per ipsum in statu sæculari commissi, eoque probato clericum reum punire pœna pecuniaria vel confiscatione bonorum, si quæ habet in territorio suo existentia: nihilominus pœnam corporalem eidem infligere non potest, nisi clericus ille antea fuerit degradatus, et traditus curiæ sæculari. Ita Joan. Andreas in cap. 1, n. 19, n. 1, fin. et Abbas ibid. n. 5, vers. *Concludendo, de Obligat. ad ratiocin.* Farinacius lib. I. *Pract. crimin.* quæst. 8, n. 107 et 108, referens plurimos alios. Sigism. Scaccia cit. lib. I, cap. xii, n. 11 et 12, allegans communem aliorum, docentium quod degradatio, quando clericatus est susceptus in fraudem, sit necessaria solum pro distinctione personæ, non item respectu bonorum. Nec immerito; quia clericatus eximit personam quoad omnem violentam manuum injectionem, vel distinctionem potestatis laicalis, donec sequatur degradatio, privans degradatum omni privilegio clericali, c. *Degradatio, de Pœnis* in 6, cum similibus; non vero eximit causam a jurisdictione prævntientis iudicis sæcularis, quæ per citationem jam est perpetuata, ob dicta § 8, n. 167 et 168.

273. *Quid juris, si super clericatu malefactoris, per iudicem laicum capti, et dicentis se esse clericum, oriatur quæstio?* — Quæritur VI. Quid juris, si super clericatu malefactoris, per iudicem laicum capti, et dicentis se esse clericum, oriatur quæstio? Hæc controversia ex professo reperitur decisa in constitutione Bonifacii VIII, quæ refertur in c. *Si iudex*, 12, de *Sentent. excomm.* in 6, atque (ut *Glossa* hic in princ. loquitur) « Si iudex est expediens et utilis valde, et sæpissime practicatur. » Unde dictam pontificiam responsionem semper esse præ oculis habendam recte monet Covarruvias, *Pract. quæst.* cap. xxxiii, circa init. subjungens, quod eam, præter doctores ibidem, maxime commendarunt Baldus in 1. *Si quæ per calumniam. C. de Episcop. et cleric.* et Cæpolla, *Consil. criminal.* 40 et 41, quamlibet dictæ constitutionis partem peculiari adnotatione perpendentes. Proinde memoratæ decisioni pontificiæ inhærendo,

274. *Cognitio hujus causæ spectat ad iudicem ecclesiasticum.* — Resp. I. Quando super clericatu malefactoris controversia existit inter iudicem laicum et ecclesiasticum, dubitando

videlicet, num captus a laico sit clericus, aut clericali privilegio hic et nunc gaudeat: tunc cognitio hujus causæ spectat ad iudicem ecclesiasticum, vocato tamen iudice sæculari. Ita textus in cit. c. *Si iudex*, 12, de *Sentent. excomm.* in 6, illis verbis: « Si iudex laicus malefactorem captum defineat, et is se clericum dicens ad curiam ecclesiasticam petat remitti, vel curia ipsa eum tanquam suum clericum repetat, iudice ipsum inficiante clericum, ac ob hoc minime remittendum: dubitationis hujusmodi, an scilicet sit qui repetitur clericus, ad iudicem ecclesiasticum (quia de re ecclesiastica, et spirituali, vocato tamen iudice sæculari, vel alio cujus interest) cognitio pertinebit. » Ob quem textum adeo apertum, atque allegatam in eo causam dictæ constitutionis, ita tradiderunt ibi canonistæ, et Rota, decis. 3, alias 202, tit. de *Sentent. excomm. in novis*, Covarruvias cit. c. 33, n. 1; Barbosa in cit. c. *Si iudex*, n. 2, de *Sentent. excomm.* in 6, istud exemplificans in malefactore per iudicem sæcularem capto, de quo controvertitur, an sit clericus primæ tonsuræ, vel minorum ordinum, deferatque habitum clericalem, aut omnes alias conditiones habeat, quæ juxta cap. un. de *Clerico conjugat.* in 6, et concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 6, de *Reform.* requiruntur ad privilegium fori participandum: estque communis canonistarum: atque ex civilistis Baldus, et Cæpolla, ubi supra Alexander, consil. 8, n. 4, vol. I, loquens de clerico conjugato, de quo iudex ecclesiasticus cognoscere habet, an sit clericus, et gaudere debeat privilegio clericali. Farinacius, lib. I. *Pract. criminal.*, quæst. 8, n. 33, citans plurimos alios; Julius Clarus, lib. V, § fin. quæst. 36, n. 21; Menochius, lib. VI, de *Præsumpt.*, præf. 76, n. 34; Mascardus de *Probat.*, concil. 690, n. 7 et 8, et alii ab his allegati.

275. *Vocato tamen iudice sæculari, vel alio cujus interest.* — Additur notanter in relato textu juris, « vocato tamen iudice sæculari, » etc. Quia licet in tali casu quæstio clericatus cognosci, ac decidi debeat per iudicem ecclesiasticum, cum tangat rem ecclesiasticam atque spiritualem: nihilominus isthæc cognitio fieri debet « vocato iudice sæculari, vel alio cujus interest; » prout loquitur Pontifex in cit. c. *Si iudex laicus, de Sentent. excomm.* in 6. Ubi *Glossa* §. *Interest*, istud exemplificat de adversario, qui illum, de cujus clericatu movetur quæstio, fecit capi, et pro maleficio puniri: talis enim, sicut et alii, quorum in-

terest, antea sunt vocandi, ut jus suum prosequi, et si quod habent, defendere valeant, c. *Inter quatuor, de Majorit. et obed. et l. Emp-tor. fundi. C. de Eviction.* cum similibus.

276. *Malefactor ille stante dubio debet remanere penes iudicem laicum, qui tamen tenetur supersedere quovis processu contra eum. Quæstio clericatus est præjudicialis.* — Resp. II. Si igitur malefactor captus per iudicem sæcularem asserat se esse clericum, sicque petat remitti ad iudicem ecclesiasticum, tunc stante dubio quoad hoc debet is remanere penes iudicem laicum, donec cognitum fuerit per iudicem ecclesiasticum de clericatu: ita tamen, ut iudex sæcularis una cum aliis interesse habentibus vocetur ad istud iudicium, ipseque interim a quovis processu contra captivum illum supersedere teneatur. Ita habetur ex cit. c. *Si iudex*. § fin. de *Sentent. excomm.*, in 6. Accedit ratio prioris partis; quia stante illo dubio iudex sæcularis est in possessione malefactoris capti, qua ob nudam suam assertionem clericatus spoliari non debet, donec causa ista, utpote spiritualis, per iudicem ecclesiasticum fuerit terminata. Altera vero pars ex eo probatur: quia quæstio clericatus est præjudicialis, cum faciat sopire causam principalem ex parte iudicis sæcularis, si probabitur clericatus, juxta *Glossam*, in casu d. c. *Si iudex*: ergo necesse est, ut, donec ipsa per ecclesiasticum iudicem decisa fuerit, processus iudicis sæcularis interim quiescat, ne alioquin confusione quadam iudicii ordinem perturbari contingat; prout in simili habetur in c. *Tuam*. 3. de *Ordine cognit.* et c. *Lætor*, et c. *Causam quæ inter. Qui filii sint legitim.* Comperio autem, quod ille sit clericus, debet is remitti ad eundem iudicem suum ecclesiasticum. Et ita servari attestatur Afflictus, part. I. *Constit. Regni*, rubr. 3. post n. 19. quem citat, et sequitur Clarus, cit. quæst. 36, n. 21.

277. *Quid, si constet malefactorem illum esse clericum, aut is communi existimatione habitus fuerit pro clerico?* — Additur notanter, « stante dubio: » quia in dubio melior est conditio iudicis laici, veluti possidentis. Secus dicendum, si notorie constet, quod malefactor ille sit clericus, qui privilegio fori gaudere debeat (dum videlicet nullus ex casibus supra n. 251 et seqq. enumeratis, intervenire dignoscitur) vel si is publica fama, sive communi existimatione habitus fuerit pro ejusmodi clerico. Tunc enim statim ac in contenti, etiam ante cognitionem de clericatu,

ecclesiasticæ curiæ reddi debet. Textus est in cit. c. *Si iudex*. § *Et si notorium*. de *Sentent. excomm.*, in 6.

278. *Vel fuerit deprehensus in habitu clericali?* — Resp. III. Hoc a idem est censendum (nempe, quod captus a iudice sæculari ante cognitionem de clericatu sit reddendus curiæ ecclesiasticæ) si reus ipse ante deprehensionem pro laico publice se non gerens, deprehensus fuit in habitu clericali, tonsuram videlicet et vestes deferens clericales; nam talem debemus clericum (donec constet de contrario) reputari. Ita loquitur Pontifex in cit. c. *Si iudex*. § *Idem esse*. de *Sentent. excomm.* in 6. Accedit ratio ibidem assignata, tum quia talis existit in possessione clericatus, unde non tenetur hunc probare; sicut et ille, qui in possessione ingenuitatis existit, si dicatur ab alio libertinus, juxta leges civiles non ipse, sed adversarius probandi necessitate constringitur; tum quia justum est, ut quis præsumatur talis, qualis est ille, cujus fert habitum, donec contrarium probetur; prout pluribus exemplificat Pontifex loc. cit.

279. *Vel fuerit deprehensus in habitu clericali?* — Dicitur vero notanter in relato textu, « ante deprehensionem pro laico publice se non gerens. » Nam secus est dicendum, si malefactor ejusmodi ante suam capturam pro laico publice se gerebat; ac pro tali communiter habebatur: talis enim, haud obstante, quod tempore capturæ fuerit repertus in habitu clericali, non est per iudicem sæcularem restituendus iudici ecclesiastico, quousque ipse probet se esse clericum, fidem faciendo de titulo clericali, v. g. exhibitis formati seu litteris episcopalibus de sua ordinatione attestantibus; quamvis interim contra eum quivis processus iudicis sæcularis penitus conquiescere debeat. Textus est in cit. c. *Si iudex*. § *fin. de Sentent. excomm.*, in 6. Et ratio disparitatis inter hunc, et priorem casum est: quia ibi præsumptio stabat pro clericatu, in cujus possessione quis fuerat ob delatum habitum clericalem, ac publice pro laico se non gerendo. Secus in isto posteriori casu, ubi malefactor ante capturam supponitur pro laico publice se gessisse, sicque præsumptio stat adversus ipsum; ac proinde onus probandi clericatum ipsi incumbit: neque enim ad hunc probandum sufficit sola delatio habitus clericalis tempore suæ capturæ; præsumitur enim talem habitum fuisse ab ipso tunc assumptum in fraudem, eo quod antea publice pro laico se gessisset.

280. *Aliæ quæstiones circa privilegium fori clericorum. Remissive.* — Posset hoc loco ulterius quæri, num clericus laicum conveniens coram iudice sæculari, possit ibidem reconveniri? Verum hæc quæstio commodius tractatur, atque resolvitur, tit. IV. de *Mutuis petitionibus*. § 2. Aliæ etiam nonnullæ quæstiones, huc applicabiles, fuerunt resolutæ, tit. præced. § 3 et 4. De immunitate vero rerum ad ecclesias, personasque ecclesiasticas pertinentium, commodius dicitur, l. III, tit. XLIX, de *immunitate ecclesiarum, cæmeterii, et rerum ad eas pertinentium*, in scripto

### TITULUS III.

#### De Libelli Oblatione.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Merito præsens titulus priori subjungitur; siquidem constituto semel foro competenti, proponitur per actorem petitio iudici, eaque reo in iudicium vocato notificatur; quod fieri solet per *Libelli oblationem*. Etsi enim in iudicio summario, in quo proceditur simpliciter, et de plano, non sit necessaria oblatio libelli, Clem. *Sæpe contingit. de Verb. signif.*; sed sufficiat, si actor voce, sive ore tenus proponat petitionem suam: quæ tamen postmodum, ut de ipsa constare valeat, per publicam personam fideliter ac diligenter inferenda est actis publicis, c. *Quoniam, de Probat.*; nihilominus in iudicio ordinario, de quo ex professo agitur hoc secundo libro *Decretalium*, prorsus necesse est, ut intentio actoris proponatur scriptis, sive per libelli oblationem, prout patet ex cap. I. h. t. Hinc sit

#### § I.

##### DE NATURA LIBELLI, VARIISQUE IPSUM CONCERNENTIBUS.

2. *Libellus, quid?* — Quæritur I. Quid sit libellus, quibusque partibus constet? Resp. I. *Libellus* est brevis scriptura, claram continens intentionem actoris, sive accusatoris. Ita Abbas ad rubricam h. t. n. 1. estque in re communis.

3. *Debet dari in scriptis. Et primo iudici, ac postea per hunc reo.* — Dicitur primo, « scriptura: » quia, ut n. 1 dictum, libellus

#### § I. DE NATURA LIBELLI, VARIISQUE IPSUM CONCERNENTIBUS.

in scriptis dari debet, cap. I. h. t. Et quidem primitus iudici libellus offerendus est, arg. cit. cap. I. ibi: « Synodo porrigere: » ac deinde per iudicem debet transmitti reo, ut ipsemet reus spatio viginti dierum deliberare possit, an cedendum sibi sit, vel iudicio contendendum. Auth. *Offeratur. C. de Litis contestat. et can. Inducæ. § Offeratur.* 3. q. 3.

4. *Ac debet esse brevis.* — Et additur, « brevis. » Nam ejusmodi scriptura debet esse brevis (hac enim de causa diminutive dicitur *Libellus*) ac proinde libellorum dictatoribus cavendum, ne verbosis utantur assertionibus, neve inutilia, et ad intentionem actoris non pertinentia immisceant, aut semel perorata superflue repetere gestiant, l. *Ampliohem. § In refutatoriis. c. de Appellat.*

5. *Et claram continere intentionem actoris; et cur?* — Dicitur ulterius « claram continens intentionem actoris. » Siquidem libellus debet esse clarus et perspicuus, simulque certus, sive super re certa propositus: ita videlicet, ut reus rite valeat intelligere, quid, quale, quantum, et ex quo titulo petatur; sicque deliberare possit, an sibi cedendum sit, necne, atque insuper iudex, causa rite discussa, conformem libello sententiam ferre queat. Hinc in cap. II, h. t. reprobat libellus actoris, repetentis terram a reo plures terras possidente, et non specificantis terram illam, quam repetebat: quia hujusmodi libellus, utpote generaliter conceptus, erat obscurus, atque æquivocus.

6. *Redditur quinque modis obscurus.* — Addit Gailus, l. I. *Pract. observat.* 62. n. 3. libellum quinque modis reddi obscurum; videlicet, ratione æquivocationis, generalitatis, locutionis non coarctatæ, vel alternativæ, ac infinitatis; quamvis, quod attinet ad alternativam, hoc dictum nonnullas patitur limitationes, de quibus agit Vallensis h. t. n. 4. et Gailus cit. observat. 62. n. 4. et seqq. Sic enim tenet libellus alternativus, quando agitur ex l. 2. c. de *Rescindend. vendit.*; nam venditor læsus ultra dimidium pretium, debet in libello concludere, ut vel emptor suppleat justum pretium, vel restituat rem emptam, per textum ibidem: et si alterum præcise petat, succumbit. c. *Cum dilecti.* 3. de *Emption. et vendit.* Similiter in actione hypothecaria sustinetur libellus alternativus, ut reus condemnetur vel ad traditionem rei obligatæ, vel ad solvendum debitum, l. *Si fundus hypothecæ. § In vindicatione, ff. de Pignorb.* Tacentur nonnulli alii casus.

7. *Libellus alius civilis, alius criminalis.* — Dicitur tandem « actoris, sive accusatoris. » Nam libellus alius est civilis, sive conventionalis, seu postulationis, qui datur in civilibus causis: in his enim actionem contra alium intentans, sive quidpiam ab eo in iudicio postulans, proprio nomine appellatur actor. Alius vero dicitur libellus criminalis, qui videlicet criminis accusationem continet: nam tunc agens contra alium criminaliter, dicitur accusator.

8. *Solet constare tribus partibus.* — Resp. II. Libellus tribus partibus constare solet, videlicet narratione facti, causa petendi, sive medio concludendi, et ipsa conclusione. Ita Engel h. t. n. 4 cum communi. Imprimis enim præmisso nomine, ac competenti titulo iudicis (hujus quippe nomen exprimi necesse est, ut reo constare valeat, an is sit competens, necne; quamvis necesse non sit, ut ejus nomen proprium exprimat in libello, sed sufficiat eum appellare a suo officio, sive jurisdictione. Pirhing h. t. n. 15), præmisso, inquam, nomine iudicis, oportet narrare factum cum necessariis circumstantiis: deinde addere medium concludendi, sive clausam ipsam petendi aliquid in iudicio: et tandem subungere conclusionem, sive actualem petitionem; prout in progressu amplius declarabitur.

9. *Qualiter sit concipiendus?* — Et hoc totum deservit ad solutionem illius quæstionis: « Qualiter concipiendus sit libellus? » Resp. enim libellum ita concipiendum, ut detur in scriptis, sit brevis, simulque clare explicet intentionem actoris, et constet tribus istis partibus. Unde Glossa, cap. I. h. t. ea omnia, quæ in libello exprimenda sunt, sequentibus versiculis apte complectitur.

Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, et a quo Recte compositus quisque libellus habet.

10. *An, et quomodo oporteat in eo exprimere causam petendi?* — Quæritur II. An, et quomodo oporteat in libello exprimere causam petendi, sive medium concludendi? Ubi prænotandum, quid sit actio realis et personalis, quia inter utraque quoad propositum est notabile discrimen. Et quidem

11 et 12. *Actio realis et actio personalis, quid?* — Actio realis ea est, quæ adhæret rei, ipsamque insequitur: adeo, ut in cujuscumque manus res nobis obligata devenerit, ab eodem reposci, et vindicari possit; et si probaverimus rem esse nostram, etiam in